



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiae Gallicanae, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

III. Temperamentum tamen huic auctoritati adhibitum à Leone, prudenti instituto. Nempe, ut si epistolæ huic aliqui Episcopi non assentirentur, tota negotij disceptatio ad Concilium generale ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

nat ubique. Auctoritas epistola Leonis. Par Zo'zimi factum.

III. Temperamentum tamen huic auctoritati adhibendum à Leone, prudenti instituto. Nempe, ut si epistola huic aliqui Episcopi non assentirentur, tota negotij disceptatio ad Concilium generale referretur. Etenim definitio fidei à Pontifice Romano facta non adstringit Christianos, nisi accedat universalis Ecclesie consensus. Quod probatur auctoritate Quinte Synodi.

IV. Summus Pontifex verum in Concilio Oecumenico sancientiarum auctor esse debet, ad exemplum Principum Romanorum. Probatur ex Marciano Imperatore in epistola ad Leonem, & Pulcheria Augusta. Duæ igitur auctoritates in synodo; una, Leonis; altera, synodi. Ex his duabus irrefragabilis rerum propositarum definitio consequatur.

V. Comparatio relationis imperatoria & pontificia. Pontificum definitiones in synodis examinabantur, ut constaret an scripturis & canonibus congruerent. Itaque post definitionem Pontificis, & declarationem synodi, certa erat fidei regula. Pontifex Romanus primam & maximam habet pro veritate sententiam, ex Facundo.

VI. Explicatur jus quod Dioscoro quaestum est in Synodo Ephes. 11. ob auctoritatem ei collatam rescripto Theodosij. Ea auctoritas in eo versabatur, ut jus quidem relationis haberet Dioscorus, cum prerogativa suffragij, sed tamen consensus synodi necessarius haberetur, quod probatur ex ipsius Dioscori verbis in Concilio Chalcedonensi prolatis.

I. **H**is positis, aggredienda est disceptatio pontificia potestatis in Synodo Oecumenica Chalcedonensi. Acta fidem faciunt eorum quæ ibi in utramque partem gesta sunt. Ac deinde ad synodum Ephesinam regrediemur. Sed antequam huic discussioni incumbam, necesse est paucis dicere de auctoritate qua Summus Pontifex usus est ante Concilij congregationem. Non solum enim synodum Ephesinam secundam rescidit, sed à communionem quoque sua ejus synodi participes removet, Legatosque suos misit Constantinopolim, qui Anatolio urbis regie Episcopo ceterisque Orientis Episcopis subscribendam præberent epistolam de incarnatione à se editam. Subscripsit Anatolius; retulitque ipse Leoni, unâ cum Legatis, plures in Oriente Episcopos communionis Romanæ cupidos dolere quòd adversum terrores Dioscori non tenuissent constantiam. Qua de re plena auctoritate Leo decernit quid agendum esset: *Cum Legatis nostris, quos misimus, participata tecum sollicitudine volumus disponatur quatenus hi qui plenis satisfactionibus male gesta condemnant, & accusare magis se eligunt quam tueri, pacis & communionis nostræ unitate latentur; ita ut digno prius anathemate, quæ contra eadem catholicam sunt recepta, damnentur.* Quod autem attinet ad Dioscorum & Iuvenalem perturbationis auctores, Anatolio præscribit ut ea custodiat quæ Legati facienda esse dixerint; nempe ut eorum no-

Leo ep. 40. cap. 1.

mina ad altare non recitentur, nec sanctorum nominibus sine discretionem misceantur, cum damnatam impietatem non deserentes, ipsi se sua pravitate condemnent, quos convenit aut percelli pro perfidia, aut laborare pro venia. Sed aliâ deinde epistolâ de iis qui superiorem locum in synodo Ephesina vindicarunt, si respicerent, eorum satisfactionem maturioribus apostolica sedis consiliis reservat, ut examinatis omnibus atque perpensis, de ipsis eorum actionibus quid constitutum debeat aestimetur. Omnium quoque difficultatum quæ in hoc negotio emergere possent sollicitudinem ad se trahit. Quare certum est & indubitarum apostolicæ sedis auctoritate assertam fuisse fidei veritatem adversus perfidiam Eutyichis, synodi Ephesinæ latrocinium castigatum, Episcopos Orientis ad satisfactionem adactos, & Leonis epistolam pro sincera fidei definitione susceptam.

II. Non melatet olim in provinciis erumpens hæreticum virus, synodorum provincialium decretis expulsum, hæresi atque hæreticis damnatis. Sed hæreticis tantum in provincia degentibus pœna à synodis indicebatur. At verò Leo I. hæresim in Oriente natam, & hæreticos non solum in Occidente, sed etiam in Oriente damnat, ejusque sola epistola vim sententiæ & definitionis canonice obtinet; synodum quæ faverat hæresi rescindit, & perturbationis auctores suo iudicio reservat. Sic olim Pelagianis à Zo'zimo damnatis, eorum hæresis per totum orbem proscripita est; ut disertè scribunt Augustinus & Prosper.

III. Enimvero summæ huic auctoritati temperamentum quoddam adhibuit ipse Leo; nempe, ut si rebus à se definitis aliqui Episcopi non assentirentur, tota negotij disceptatio ad generale Concilium referretur. Nec immeritò; cum optimè sciret universalis Ecclesie fidem nullibi apertius explicari, vel splendidius eminere, aut securius prædicari, quàm in compendio universalis Ecclesie, quæ Concilii generalibus repræsentatur; ubi Spiritus sancti præsentiam testatur congregatio Sacerdotum, quemadmodum loquitur Celestinus. Quare licet nullo pacto Summus Pontifex Leo de doctrina fidei dubitaret, quam epistola sua luculenter exposuerat; at tamen synodi necessitatem agnovit, si aliquot Episcopi suæ definitioni refragarentur. Etenim formam fidei per Legatos suos ad Theodosium mittens, ait: *Sin vero aliqui à puritate nostræ fidei atque patrum auctoritate dissentiant, Concilium universale intra Italiam, sicut synodus quæ ob hanc causam Romæ convenerat invocari petit, clementia vestra concedat; ut in unum convenientibus omnibus his qui aut igro-*

rantiâ

vantia aut errore prolapsi sunt, correctionis remediis consulatur. Et aliis literis Pulcheriam rogat, ut si qui à confessione fidei dissentiant, quam ipse explicuerat, synodum cogi procuraret: *A qua (id est, fidei confessione) si forsitan ab aliquibus discrepatur, universale Concilium Sacerdotum haberi intra Italiam clementia vestra annuente jubeatur; quò remota arte fallendi, tandem pateat quid altiore tractatu aut coerceri debeat, aut sanari.* Noverat prudentissimus ille Pontifex definiendi auctoritate, qua vigeat, Episcopos populúmque Christianum non adstringi tanquam indubitata fidei regula, nisi accederet per provincialium Episcoporum subscriptiones universalis Ecclesie consensus, vel reculantibus plerisque unius confessionis concordiam, Synodi Oecumenicæ publica professio Pontificis definitionem amplecteretur. Verissimè enim observatum est à Quinta Synodo, (quæ factum Vigilij non probat, quòd præsentè Oecumenica Synodo, seorsim ab illa Constitutum suum de rebus propositis à Iustiniano edere volebat) Apostolos docuisse in rebus fidei communem tractatum esse necessarium. *Licet enim, inquit illi in definitione fidei, sancti Spiritus gratia & circa singulos Apostolos abundaret, ut non indigerent alieno consilio ad ea quæ agenda erant; non tamen aliter voluerunt de eo quòd movebatur, se oportere gentes circumcidi, definire, prinquam communiter congregati; divinarum scripturarum testimoniis unusquisque sua dicta confirmarunt. Vnde communiter de eo sententiam protulerunt, ad gentes scribentes: Visum est Spiritui sancto & nobis &c.*

I V. Sanè quænam futura sit Summi Pontificis potestas in Concilio Oecumenico, facile animadverti potest. Nempe rerum gerendarum & sancendarum auctor esse debet; quemadmodum Senatusconsulta olim in Imperio fiebant auctore Principe. Vnde Marcianus Augustus de proposito suo cogendæ synodi ad Leonem ita scribit, ut eo auctore illam celebrare velit, id est, eodem jure quo Principes Senatui auctores fiebant aliquid censendi. Si cui autem sublesta & frivola videatur hæc interpretatio, nolim mihi succenseat, sed ipsi Marciano; qui planis & disertis verbis sic Pontificis auctoritatem expressit, ut Leoni definiendi secundum canones jus tribuat, & synodo sua quoque constitutione declarandi. *Si verò hoc onerosum est ut tu ad hæc partes advenias, hoc ipsum nobis propriis literis tua sanctitas manifestet: quatenus in omnem Orientem, & in ipsam Thraciam, & Illyricum, sacra nostra literæ dirigantur, ut ad quandam diffinitum locum, ubi nobis placuerit, omnes sanctissimi Episcopi debeant convenire, & quæ Christianorum religioni atque catholica fidei pro-*

sint, sicut sanctitas tua secundum ecclesiasticas regulas diffiniverit, sua dispositione declarent. Quæ paraphrasticè concepit Marcianus, in unum verbum contraxit Pulcheria Augusta, eadem de re loquens in epistola ad Leonem, nempe, ut eo auctore decernant Episcopi: *Facto Concilio, & de catholica confessione, & de his Episcopis qui ante hoc segregati sunt, sicut fides & Christiana pietas exigit, te auctore decernant.* Itaque quemadmodum in Senatusconsultis olim, sic in Synodi Chalcedonensis decretis duæ auctoritates in unam sententiam confluebant. Altera Leonis, qui non solum censebat, sed etiam referebat ad synodum cum prærogativa suffragij; altera synodi, quæ suis quoque suffragiis orationem seu epistolam Leonis confirmabat; ita ut ex hac consensione irretractabilis rerum propositarum definitio consequeretur.

V. Quemadmodum autem relationis imperatoris hæc erat necessaria & velut innata conditio, ut rectæ rationis præscriptum sequeretur, atque utilitati publicæ consuleret, vel sanè non incommodaret, (qua de re libera erant Senatorum suffragia) ita quoque relationis pontificiæ partes erant ut in fide & pace Ecclesiarum constituenda; à sacris scripturis, à canonibus, & à traditione majorum nullo pacto discederetur. Quare illud anxie à synodo disquirebatur, an Pontificum epistola prin scripturis & canonibus congrueret; ut ita demum auctoritate illius omnes tenerentur, atque duobus veluti vinculis in fide confirmati essent, definitione Pontificis, & declaratione synodi. Hic est Marciani sensus, cum scripsit illa quæ à Leone secundum ecclesiasticos canones definiuntur, à synodo declaratum iri. Sanè cum semel tradita fidei hærendum sit, ut docet Iudas Apostolus, hinc sequitur eam esse fidei Christianæ rationem, ut vetera eruantur, non autem nova condantur; quemadmodum rectè monuit Vincentius Lirinensis. Quare Summus Pontifex & Synodi Oecumenicæ in id totis viribus incumbunt, ut veritatem fidei adversus hæreson novitates decretis suis post consultationes accuratas constanter vindicent. In asserenda autem veritate, Romanæ sedis antistes primam & maximam accepit potestatem, & pro veritate plus ceteris consacerdotibus potest; ut loquar cum Faundo Hermianensi.

VI. Ut autem liquidius constet in quo versaretur prima illa præsidium potestas in Synodis Oecumenicis, præter illam quam à Marciani literis protulimus interpretatio nem, adjungenda quoque est Dioscori Alexandrini explicatio in Concilio Chalcedonensi, ubi ab eo, tanquam à Synodi Ephesinæ

Ep. Pulcherie p. 1.
Concil. c. 31.

Vide locum Fa-
cundi lib. 1. l. 1.
Differt. c. 15. §. 10.

Epist.
Pulcherie
ad Leonem
p. 1. c. 31.

Epist.
Pulcherie
ad Leonem
p. 1. c. 31.

Vide locum
Faundi lib. 1.
l. 1. Differt.
c. 15. §. 10.

Vide locum
Faundi lib. 1.
l. 1. Differt.
c. 15. §. 10.